

AD  
SOLENNEM  
PROMOTIONIS  
MAGISTERIALIS

ACTUM,

*DIE XIV. FEBRUARII*

*ANNO SALUTIS MDCCXV.*

H. L. Q. C.

CELEBRANDUM,

FACULTATIS PHILOSOPHICAE  
LIPSIENSIS

DECANUS

ULRICUS JUNIUS,

P. P.

OFFICIOSE DECENTERQUE  
INVITAT.



Mathem.

108,18

AD  
SOLENNEM  
PROMOTIONIS  
MAGISTRALIS  
ACTUM  
DIE XXII FEBRUARII  
ANNO DOMINI MDCCXCVI  
HABITU  
MAGISTRATUS PHILOSOPHICAE  
PRIMARIS  
DEGAMIS  
IN REGIS PALATII  
L. B.  
CIVITATE DRESDENSI  
IN VITA



On omnino credibile cuiquam aut verifimile videretur, Romanos pace belloque spectatos, bonisque exemplis ditissimos, & rerum omnium Dominos, eo ipso tempore, quo caput erexerunt altissime, tantum erga Studia Mathematica odium & fastidium fovisse, ut illa rectius excolenda non modo neglexerint, sed & contemptui exposuerint iniquissimo, nisi certa & indubitata supinæ hujus incuriæ nobis essent indicia, & Scriptorum fide dignissimorum autoritas apertissime intercederet. Neque ego video, quibus coloribus, tanta eorum hac ex parte ruditatis, nobilissimarumque ignorantio scientiarum aut pingi aut defendi queat. Nam constare poterat inter omnes, quod statim post diluvii Noachitici tempora celebre fuerit & nobile nomen Astronomiæ apud Chaldæos (a), Arithmeticiæ apud Phœnices (b), Geometriæ apud Ægyptios (c), & apud hos non minus, quam apud Phœni-

):( 2

ces

- (a) Hoc testantur imprimis eorum Observationes cœlestes, quæ (Alexandro victore) à Callisthene, ad Aristotelem, Babylone dicuntur allatæ; annorum scilicet mille nongentorum & trium: ut refert *Gerh. Joh. Vossius* de Scientiis Mathematicis Cap. XXX. §. 14. p. m. 134.
- (b) Hi cum longè, latèque, mercaturam exercerent, hanc artem præ cæteris excoluere. Hinc Pythagoras, à Phœnicibus Arithmeticiam; ab Ægyptiis Geometriam; à Chaldæis Astronomiam discere voluit, cujus rationem affert Malchus sive Porphyrius in vita Pythagoræ: γεωμετρίας μὲν γὰρ ἐκ παλαιῶν χρόνων ἐπιμεληθῆναι Αἰγυπτίους τὰ δὲ περὶ ἀριθμῶν τε, καὶ λογισμῶν, Φοίνικας, Χαλδαίους δὲ τὰ περὶ τὸν ἕραν ὄν θεωρήματα. h. e. Ægyptios, jam à temporibus antiquis, Geometriæ studuisse; Phœnices numero & rationibus; Chaldæos contemplationi cœlestium.
- (c) Huic sententiæ favet Herodotus in Euterpe: *Videtur mihi Geometria, in Ægypto inventa, in Græciam venisse.* Licet nonnulli Ægyptios sive ab Abrahamo, sive à quopiam alio ex Chaldæis Magistro, edoctos esse statuant. Adversus enim notissimas inundationes Nili, inquit celeberr. *Wallisius* in Orat. inaug. Tom. I. Oper. Mathem. p. 6. vix efficacius ullum adhibuere remedium, quam quod Geometriæ beneficio obtinebant: dispartitis nempe Geometricè terris, quas undarum injuria confuderat, & restitutis agrorum emerforum limitibus, quos submersio sustulerat, quo melius sua singulis distribuerentur. Et *Servius* in Ecl. III. Inventa hæc est ars tempore, quo Nilus, plus æquo crescens, confudit terminos possessionum: ad quos innovandos adhibiti sunt Philosophi, qui lineis diviserunt agros: inde Geometria dicitur; cum non tantum terræ, sed & maris, & cœli, & aëris, spatia metiri consueverit.

ces atque alios, reliquarum disciplinarum Mathematicarum summa cura & admiratio (d). Ut vero sequentium imprimis temporum habeatur ratio, & ut inde in Romanorum redarguendam maximopere fœcordiam major & evidentior redundet culpa, id scitu necessarium est, quod inter Græcos universim doctrina Mathematica ad solennem communemque hominum elegantiorum usum adducta sit, quodque in Schola Pythagoræ, & in Academia Platonis, & in Lycœo Aristotelis tanta subito incrementa acceperit, ut sub horum ducum auspiciis intra paucas annorum centurias tota Mathesis amplissimorum progressuum laudem potuerit ostentare, eandemque multo celebriorem, quam per ea omnia, quæ præcesserant, secula. Hinc largus suppetit Græcorum Mathematicorum numerus; hinc dives monumentorum ab ipsis relictorum seges datur; quibus jam omnibus commemorandis hujus paginæ angustia haudquam sufficit. Neque adeo credo obscurum esse, quod Euclides Megarensis, Diophantus Alexandrinus, & Theon Smyrnæus in *Arithmeticis*; Pythagoras, Anaxagoras, Plato, Archytas Tarentinus, Eudoxus, Apollonius Pergæus, Archimedes Syracusanus, & Eratosthenes Cyrenæus in *Geometricis*; Thales Milesius, Hipparchus, Anaximander & Anaximenes Milesii, Meton, Aratus, Geminus, & Empedocles Agrigentinus in *Astronomicis*; Pythagoras, Lasus Hermionensis, Democritus Abderita, & Aristoxenus Tarentinus in *Musicis*; Heliodorus Larissæus, Euclides & Archimedes in *Opticis*; Hero, Ctesibius Alexandrinus & Ctesiphon in *Mechanicis*; atque alii innumeri in his, de quibus dixi, & in cæteris scientiis Mathematicis excellentissimi Græci, & sibi & genti suæ immortalē conciliaverint nominis gloriam. Sed hæ ipsæ artes quo sublimius Græco studio surrexerunt, quoque floridius in summum culmen adscenderunt in Hellade; (vix enim ullo uspiam solo feliciter Mathematica succrescere visa sunt:) eo magis conculcatæ & profundioribus veluti tenebris obvolutæ jacuerunt in Latio. Rarum quiddam & prorsus insolitum est, vel, ut cum Poëta loquar, res quoque corvo rarior albo, si qua divinæ Matheseos lineamenta sive vestigia in Romanis Autoribus occurrant (e).  
Si

(d) Autor est nobis *Aristoteles* lib. I. *Metaphys.* cap. I. & *Wallisius* cit. loc.

(e) Pulchre admodum loquitur *Wallisius* in Orat. superius allegata: Romani, quam Græcorum literaturæ hæredes habiti, pro florido, quo erant ingenio, potius quam solido; dicendi potius copia, & verborum ornatu, quam rerum pondere & argumentorum acumine delectati; Rhetorica magis quam Logica instructi; orationis

Si maxime consideretur Historia Mathematica, Romanorum vix duos aut tres tantæ cognitioni augendæ & promovendæ aliqualem operam impendisse apparet. Satis est nominasse Terentium Varronem, qui Arithmetica (f) & Geometriam (g) conscripsit: Item, L. Apulejum Madaurensem, Philosophum Platonicum, qui etiam Arithmetica (h) consignasse dicitur: nec non Severinum Boëthium, qui post Apulejum, trecentis demum annis interpositis, duos insignes libros de Arithmetica posteritati dicavit. Quæ vero & Aurelius Cassiodorus (i) & Martianus Capella (k) multo post Varronis tempora de Mathesi steriliter nimis executi sunt, aut parum aut nihil subsidii afferunt huic Studio, & à viris cordatis exiguam sane ineunt gratiam. Tam paucos itaque si eximas, nullus Romanorum dicendus est Mathematicam aliquam scientiam scriptis suis illustrasse aut communicasse, præter solum Marcum Vitruvium Pollionem, qui sub Augusto apparatus balistarum, scorpionum, cæterorumque tormentorum præfectus claruit, & omnem Architecturam decem libris hodiernum exstantibus complexus est. Capacia alia hujus professionis ingenia desideravit imprimis Julius Cæsar, cum mendosos fastos Romanos corrigere, & novam epocham vellet introducere. Nemo inter Romanos ea tunc fuit virtute, quæ in isto negotio conficiendo requirebatur, sed necesse erat adhibere Sofigenem, Astronomum ex Græcia accitum, Romamque eam ad rem perductum. Quæ cum ita sint, cumque nobilissima scientiarum in tam aspera incideret fata, ut & in

);( 3

exi-

onis potius quam rationis Magistri; leviores Musas amplexi, severiores omninò insalutatas præteribant. Grammaticam scilicet, Rhetoricam & Poëticam ornare fatagentes; Philosophiam interim, Medicinam, & rerum præsertim Mathematicarum studia missa faciebant.

- (f) Hujus Arithmetices, cui titulus est *Atticus*, & de numeris agit, meminit *Censorinus* de die Natali cap. II. Et *Vertranius Maurus*, in vita Terentii Varronis, scribit hoc modo: De Arithmetica libellus ejusdem est hodie quoque superstes, divinitus à M. Varrone scriptus; uti sunt omnia ab illo profecta.
- (g) Hunc librum de Geometria scripsit ad M. Cælium Rufum; ut videre est apud Frontinum de limitibus agrorum. Vitam ejus studiosè conscripsit *Paulus Manutius*, initio Commentariorum in hunc Cælii librum.
- (h) Vide quæ de hac notat *Vossius* de Scientiis Mathematicis Cap. X. §. 6. p. 39.
- (i) Exstat hujus Opusculum de quatuor disciplinis Mathematicis, scil. Arithmetica, Musica, Geometria & Astronomia.
- (k) In ejus Satyrico de Nuptiis Philologiæ & Mercurii, & de artibus liberalibus, Liber sextus &c.

exilium, releganda, & ad Garamantas ulque & Indos propellenda putarentur, tantopere mirandum non est, quod, quæ essent pura, sincera & genuina Mathemata, Romani animo suo concipere nequirent, sed judicariam Astrologiam, Chiromantiam, Physiognomiam & reliquas partes spurias & futiles illis ipsis annumerarent, vel sub titulo illo innocuo venditarent; adeoque degeneres ipsi rejectarum partium Magistri *Mathematici* dici cuperent, ut hoc liberali nomine velarent suas ineptias. Non dici potest, quantum nocuerit illata hac ratione honestæ Mathesi injuria; quæ tamen tolerabilior quodammodo visa esset, nisi porro fœdisimum quodvis genus hominum, incantatores, ariolos, haruspices, augures, auspices, Pythones, falitores, fortilegos, veneficos, & cumulatim omnes vanitates magicas, infames & superstitiosas, quod & Plinius (1) observat, nullo honestioris rei & vocabuli discrimine habito, admiscuissent, omnesque ac singulos simili forte dignos judicassent. Hoc manifestum crassæ ignorantix argumentum est; hæc origo calamitosissimi contemptus; hæc illa pestis solidioris eruditionis, *artis nempe Mathematicæ*, quam *damnablem esse & interdictam omnino*, lege 2. tit. mox cit. sanxerunt. In rei hujus fidem evolvatur tantummodo in Codice Justiniano Tit. XVIII. Libr. IX. DE MALEFICIS ET MATHEMATICIS, ET CÆTERIS SIMILIBUS. Probe attendatur, quos hic & quales viros, non fecus ac commanipulares vel sodales ejusdem farinae ejusdemque notæ conjunxerint Jcti olim habiti spectatissimi prudentissimique, Excellentissimus Joannes, Sublimissimus Leontius, Eminentissimus Phocas, Excellentissimus Basilides, Gloriosissimus Thomas, Magnificus Tribonianus, Illustris Constantinus, Clarissimus Theophilus, & Disertissimi Dioscorus & Præsentinus. (m) Hi si Poëtis associassent Mathematicos, quos tamen & ipsos nullam habere voluerunt immunitatem (n); vel si cum Medicis congregassent in unum corpus, quorum ars & scientia Romano quodam Senatus consulto per annos sexcentos quidem damnata,

- (1) Nam Histor. Natur. lib. XXX. cap. I. ait; Magicis vanitatibus (de quibus ibi sermo est) miscuisse artes Mathematicas &c.
- (m) Vide tres Præfationes *Codici Justiniani*, scil. de novo Codice faciendo; de Justiniano Codice confirmando; & de emendatione *Codici Domini Justiniani*, & secunda ejus editione.
- (n) Leg. 3. C. de Poëtis Libr. X Tit. LII *Poëtæ nulla immunitatis prærogativa juvantur.*

ta, sed post admissa, suis non caruit privilegiis (o), facilius dissimulanda ea esset inertia. Sed cum sinistro Maleficorum lateri agglomeratos videamus Beneficos, causa peior esse non potest; de qua nunc amplius ageremus, nisi scriptio nobis interdicta & legislatori parendum esset. Prætereundum tamen non est, quod etiam in Julii Pauli L. V. Recept. Sentent. Tit. XXI. legamus DE VATICINATORIBUS ET MATHEMATICIS: atque inverso ordine apud Ulpianum Lib. VII. de Officio Proconsulis DE MATHEMATICIS ET VATICINATORIBUS. Parum differt in Codice Theodosiano, quem ad explicandum supra dictum locum, non vero ad decidendum (p) hic allegamus, Inscriptio illa Lib. IX. Tit. XVI. DE MALEFICIS, ET MATHEMATICIS, ET CÆTERIS SIMILIBUS. Quæ quidem variatio eam, quam nos tractamus rem, nil quicquam adjuvat. At vero in Codice Gregoriano, quem saltem majoris quoque illustrationis causa, quantumvis prohibiti à Cæsare Flav. Justiniano (q) adducimus, notabilis deprehendi videtur differentia in eo, quod dicitur Lib. VII. (r) DE MALEFICIS ET MANICHÆIS: Qui titulus unica constat lege, quam nullibi habemus, nisi quod eam Autor (s) Col-  
lationis

(o) Conf. C. Plinii Secundi Histor. Natur. Libr. XXIX. cap. I.

(p) Const. Summa Reipubl. §. 3. de Justin. Cod. conf. in specie est prohibitum, ne quis in foro Legem ex Cod. Theodosiano allegaret, sub pœna criminis falsi.

(q) L. I. C. de vet. Jur. enucl. Et nemo ex comparatione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam arguere audeat. Et L. 3. C. h. tit. Utimini nostris legibus; nulli earum, quæ veteribus libris inscriptæ sunt, attendentes: neque ad ea, quæ nunc posita sunt, illas comparantes, quia etsi videantur quædam invicem non consonare, tamen prius illud & vetustius nobis ut imperfectum displicuit, nunc autem hoc visum est debere obtinere.

(r) Sub titulo comp. Maximus Dioclitianus & Maximianus nobilissimi AA. Juliano Proconsuli Africæ.

(s) De vero Autore hujus libri nondum certi quid constat: Refert vero Petrus Pithæus, summus in Gallia Jctus, eum Joh. Tilium fuisse. Ita enim ille in luculentis ad hunc Scriptorem Commentationibus: *Inaudieram equidem fuisse ex prisca Scriptoribus aliquem, qui cum Moysis legibus Romanas contulisset; ac memini Joh. Tilium, antiquæ eruditionis hominem, cum de veterum Jurisconsultorum reliquiis sermo esset, narrare solitum, habuisse aliquando se ejus operis fragmenta pauca, quibus ille Licinii Rufini nomen tribuebat. An ex conjecturâ, an potius ex veteris libri fide, non satis scio.* Ex Ægidii Menagii Amœnitat. Jur. Civ. cap. VII. discimus, vixisse Licinium Rufinum Jurisconsultum

tum

lationis legum Mosaicarum & Romanarum (t) sub hoc titulo recitat: DE MATHEMATICIS, MALEFICIS ET MANICHÆIS. Cognoscimus autem ex jam citato Codicis Gregoriani loco, Manichæos junctos Maleficis: id quod non tam ideo factum est, quod & Magi (u) & Manichæi (x) ex Persia essent oriundi, quam quod dogmata Manichæorum impia (y) magiæ & maleficiis aptissima sint: Deum

tum temporibus Pauli Jurisconsulti; hoc est, sub Alexandro Severo Imperatore. Siquidem per epistolam consuluisse Paulum constat, ex his verbis, *Licinius Rufinus Julio Paulo*; quæ legere est apud Paulum ipsum l. 4. Quibus ad libertatem proclamare non licet. Sed hunc *Licinium Rufinum* Cujacius in Recitationibus ad Paulum male pro auctore, qui contulit leges Dei cum legibus Populi Romani, venditat: longe enim alius est Licinius Rufinus, Scriptor illius Collationis, ubi Constitutiones ex tribus Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano referuntur; quam ille Licinius Rufinus, Julii Pauli Jurisconsulti æqualis, qui has per ætatem legere non potuit, Jacobus Gothofredus in Prolegom. ad Cod. Theodos. cap. III. multa & erudita de ætate hujus libri, & vero autore tradit. Exstat verò idem libellus, quem eruditus orbis Illustri Petr. Pithæo debet, tum separatim, & quidem etiam Heidelbergæ anno clō 15 CLVI. in octava formâ excusus, tum in fragmentis Juris Rom. à Leewio recensitus p. 670. seqq. & Tom. VIII. Criticorum Sacrorum p. 150. seqq. ubique adjectis Pithæi notis.

(t) Et quidem ad locum Mosis, Deuter. cap. XVIII. à v. 9. ad 14. *Non inveniatur in te qui lustret filium aut filiam tuam, nec divinus apud quem sortes tollat: nec consentiat venenariis impostoribus, qui dicunt quid conceptum habeat mulier, quoniam fabulæ seductoriæ sunt. Nec intendas prodigia, nec interroges mortuos. Non inveniatur in te augurator, nec inspector avium, nec maleficus, aut incantator, nec Pythonem habens in ventrem, nec aruspex, nec interrogator mortuorum, nec portenta inspiciens. Omnia namque ista à Domino Deo tuo damnata sunt, & qui fecerit hæc. Propter has enim abominationes Deus eradicavit Chaldaeos à facie sua. Tu autem perfectus eris ante Dominum Deum tuum. Gentes enim istæ, quas tu possides, auguria & sortes & divinationes audiebant.* Scriptorem hujus Collationis Christianum fuisse, ipsa suscepti argumenti ratio suadet, & ductæ è Mose & Sacra Scriptura sententiæ hoc clarè ostendunt.

(u) Magos sacri juris interpretes in Persia extitisse, adeoque divinationibus plurimum occupatos, tradunt omnes. Conf. Can. I. Caus. XXVI. qu. III.

(x) Nicephor. Callist. Libr. VI. cap. XXXI. Histor. Ecclesiast.

(y) Horum infanda flagitia & execranda dogmata prolixè recenset Nicephor. Callist. loc. jam cit. cap. 31. & 32. Hi sunt illi, qui responsis & immolationibus operantur, & incantationibus: omni corporali & spiritali spurcitia dæmonibus serviunt. Quod idem ferè de *Helcelsitis*, teste eodem Scriptore Nicephoro Libr. V. Cap. XXIV. credendum. *Utuntur, inquit, invocationibus atque incantamentis dæ-*

*monum;*



Deum quippe alterum malum, & malarum Creatorem rerum statuebant. Duæ igitur classes, Maleficorum & Manichæorum, rectius coniungebantur, quam Malefici & Mathematici. Attamen cum Titulus in Codice Justiniano non aliter se habeat, sed eo, quo dixi, tenore constet, acquiescere nos oportet in hac Legislatoris voluntate & sententia, & id unice quærere, quosnam Romani per Maleficos æque ac Mathematicos intellectos voluerint, cum eosdem graviori pœna coërcendos passim statuunt. Maleficorum itaque nomen, quod hic generale existat, communi loquendi usu eos omnes comprehendit, qui secundum, L. 5. & 6. Cod. h. t. magna & improbissima facinora patrant, qui homines extinguunt veneno, L. 1. h. t. (z) qui magicis accincti artibus nonnulla contra salutem hominum moliuntur, L. 4. h. t. qui elementa turbant (aa), qui vitam infantium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus (bb) inimicos, L. 6. h. t. Pro diversis igitur iisque abominandis operationibus, maleferiatum hoc hominum genus in nonnullas iterum classes dispescitur. Nos famosissimos hoc loco paucis modo perstringemus, reliquos aliis supplendos relicturi. Ex his nominatim sunt I. *Divini* sive *Fatidici*, qui se spiritu prophético agitari jactitant, creduloque vulgo deceptionibus suis persuadent, se futura nosse, & mala imminetia à quovis posse avertere. Quos qui consulit, ei per c. 3. Causs. XXVI. qu. 5. quinquennalis pœnitentia imponitur. II. *Incantatores*, qui artem suam verbis magicis peragunt, & carminibus quandoque perficiunt maleficia. Quisquis eorum utitur opera, ab ecclesia christiana segregatur, & ceu anathema rejicitur, c. 1. & 2. C. 26.

):( ):(

q. 5.

monum; Astrologiam & Mathematicum errorem complectuntur, prognosticos & ariolos se nominantes. Hinc utrique in rubr. Cod. de Hæretic. & Manich. & Samarit. singulariter sunt notati, qui scilicet ad imam usque scelerum nequitiam pervenerunt, & nusquam in Romanum locum conveniendi morandique habeant facultatem: qui de Civitatibus sunt pellendi, & ultimo supplicio tradendi; quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat injuria.

(z) Ad veneficii crimen spectant procurati abortus, & sterilitates procuratæ, & pocula amatoria. Juven. Satyr. VI. *tantum medicamina possunt. Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos Conducit. Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti.*

(aa) Virgilius IV. *Æneid. sistere aquam fluvii, & vertere sidera retro.* Et in Pharm. *Carmina vel cælo possunt deducere lunam.*

(bb) Sic veneficiis & devotionibus tentatus, & extrinctus Germanicus Sueton. in Calig. Cap. 3.

qu. 5. III. *Arioli*, qui circa aras Deorum nefarias emittunt preces, funesta offerunt Sacrificia, & dæmonum accipiunt responsa: Qui hos observat, anathema fit, c. 1. loc. cit. IV. *Haruspices (cc)*, qui dies & horas in agendis negotiis operibusque custodiunt, ex visceribus animalium immolatorum in aris dæmonum coniectant, & quid per singula tempora observare debeat homo, intendunt. Pœna horum est c. 10. Ca. & qu. cit. V. *Augures (dd)*, qui volatus & cantus avium, seu voces quorumcunque animalium, vel etiam hominum sternutationes observant, atque ex eo vaticinantur. Illi ipsi, & qui consilia ab ipsis petunt, excluduntur ab Ecclesia, c. 6. 9. II. loc. alleg. VI. *Auspices (ee)*, qui, cum auguribus fere convenientes, signa rerum & observationes improvisas hominibus occurrentes ferunt c. 1. cit. Ca. qu. 3. & 4. VII. *Pythones (ff)*, qui explorandis

- (cc) Haruspex nomen habet ab haruga, & hæc est hostia, sic dicta ab hara; Hara verò avis est, cui vaticinantes haruspices intendebant. Alii deducunt hoc nomen ab horarum inspectione c. 1. Ca. 26. qu. 3. exta pecudum inspiciunt haruspices, & futura inde prædicunt. Quibusdam placet auruspex, ab auræ inspectione, eò quod momenta temporum & horarum inspiciat, quo puncto aliquid sit inchoandum. Haruspicinæ artem primus Hetruscis tradidisse dicitur quidam Tages. Hic ex horis Haruspicinam dictavit, & postea non apparuit. Nam dicitur fabulosè, arante quodam rustico, subito ex glebis exilivisse, & Haruspicinam dictasse, quâ die & mortuus est, c. 14. Ca. XXVI. qu. 5. Ceterum & Haruspices portenta interpretabantur; quod vides ex Cicer. *Orat. de harusp. resp.* Et multam tribuere fidem Italos consuevisse, ait Herodian. lib. 8.
- (dd) Auguria avium Phryges primi invenerunt. Huic vanitati multum gentiles fuerunt dediti. Phryges, quid Cornix loquatur, *inquiunt*, diligenter auscultata, situmque ejus sedentis aut volantis nullatenus contempnas. Refert enim plurimùm à dextris sit, an à sinistris, qua positione respiciat cubitum gradientis; loquax sit an clamosa, an silens omninò: præcedat, sequatur transeuntis adventum, an fugiat, quoque discedat, non negligenter ferunt attendendum. Vide sis Petri Bensfeldii Commentar. in Tit. Cod. Libr. IX. de Malef. & Mathem. p. 407. A Gentilibus ad nostra tempora puto hanc superstitionem derivatam. Multi si ægrotent, molestissimè ferunt noctuæ clamores.
- (ee) Auspicia sunt, quæ iter facientes observant: Dicta autem sunt Auspicia, quasi avium spicia. Referunt quidam, quod eâ die, qua Alexander natus est, duæ aquilæ super culmine partis domus ejus tota die sederint, auspiciam duplicis imperii, Europæ Asiæque, præferentes.
- (ff) Pythones à Pythio s. Pythone Apolline, autore divinationis sic dicti. In factis literis legimus: *Ne vos convertite ad Pythones.* Levit. Cap. XIX. v. 31. Et Cap. XX. v. 27. *Viri autem aut mulieres, si erit ex eis Pytho, omnino morte afficiuntur, lapidibus obruantur, cædis earum causa est in eis.* Conf. c. 14. Ca. XXVI. qu. V.

plorandis occultis, defunctorum manes eliciunt, & quicquid profertur ab arreptitiis, vocatur divinatio per Pythones. VIII. *Salitores* dicti sunt, qui membrorum saltus probe notant, & exinde sibi aliquid prosperum seu triste significari prædicunt, c. 1. alleg. loc. IX. *Sortilegi* (gg) sunt, qui per sortes quasdam, quas Sanctorum vocant, divinationis scientiam profitentur. De pœna eorum, qui hanc artem prohibitam exercent, vel sibi deposcunt, vid. c. 3. 7. 9. 10. & 12. Ca. XXVI. qu. 5. X. *Præstigiatores* (hh) sunt, qui superstitionis quibusdam apparitionibus se aspectui & auditui hominum ingerunt, ut futura prænuncient. XI. *Necromantici* sunt, qui præcantationibus suis mortuos gloriantur resuscitari, & ad interrogata reddunt responsa: Et hi solent cadaver sanguine conspergere, eo quod dæmones sanguine delectari dicantur, c. 14. h. t. XII. *Magi* (ii) sunt, qui ea, quæ mirabilia sunt, & naturam humanam excedunt, virtute dæmonis præstant, c. 12. loc. sæpissime alleg. In numerum denique horum maleficorum, quos jam recensui, etiam illi referri merentur, qui ex mente Varronis c. 1. Caussa XXVI. qu. 3. a quatuor Elementis, terra, aëre, igne & aqua, nomina sua acceperunt: e.g. I. *Geomantes*, qui in terra describunt loca planetarum, & per aliquas figuras & signa, quæ in aliquo corpore terrestri apparent, divinant. II. *Aëromantes*, qui idem faciunt in aëre. III. *Pyromantes*, qui in igne; & denique IV. *Hydromantes*, qui in aquæ inspectione umbras dæmonum evocare, & imagineas ludificationes eorum videre, ibique ab eis aliqua audire, & adhibito sanguine etiam inferos suscitare perhibentur. Sed satis de his. Reliquum est, ut dicamus etiam de complicibus illorum, *Mathematicis*, de quibus autem proximo quodam Programme prolixior dicendi dabitur occasio, ubi ipsius Legislatoris mentem copiosius explicandam suscipiemus. Jam monemus breviter, quod isto nomine significantur Chaldæi sive Astrologi, vel, ut dici alias solent, Genethliaci, Planetarii, Horoscopi, quos vulgo

):( ): ( 2


libe-

gg) De *Sortibus* variis apud Ethnicos, ad *Geryonis* oraculum Sueton. in Tiber. Cap. 14. *Antiatis*, Idem in Calig. Cap. 57 *Prænestinis*, Idem in Domit. Cap. 15. *Cæritanis*, Livius libr. 21. *Dodonæis*, Idem Libr. 22.

(hh) Præstigium Mercurius primus dicitur invenisse. Dictum autem est præstigium, quia oculi hominum præstringuntur.

(ii) Magiam fraudulentissimam artium natam è Medicina, adjunxisse vires religionis & artes miscuisse Mathematicas, ait *Plinius* Libr. XXX. Cap. I. Et cum Magi apud Persas potissimum Deorum cultui vacare solerent, in tantum postea aucta est eorum vanitas, ut non solum observatione siderum futura prædicere, sed artibus quibusdam & maleficiis & scire se omnia, & facere posse profiterentur.

liberali nomine *Mathematicos* appellant. Tales contemptioris fortis homines male audiebant, & maxime Romanorum invidiam incurrebant, atque indignationem ex eo, quod ex certo cœli cursu siderumque positu fata prospera & adversa hominum, totiusque reipublicæ statum præsentem atque futurum pandere & adumbrare præsumerent, licet vanissima prædictio non modo alieno eventu centies eluderetur, sed & periculum esset, ne animi, quibus vel spes addebatur vel metus, in improbas cupiditates nefariaque consilia impellerentur, quin & à Christiana religione & debito Numinis cultu abducerentur pessime. Ut vero aliquo jam exemplo tantam, quam præ se ferebant, ex astris prædicendi facultatem & scientiam perspicere liceat, ipsum cœli stelliferi situm, qui crastina luce in uno eodemque horæ momento cum ipsa solenni renunciatione Magistrorum futurus est, ob oculos ponere placuit. Nam duodecim domos constituentes, & Planetas more recepto inibi collocantes, omnia ita ordinavimus, ut inde Astrologus secundum artis suæ præcepta de Candidatorum nostrorum fati folium quasi Sibyllæ recitare, & quæ commoda & privilegia dignitatem hanc magisterialem sequantur, quique honores & officia imposterum pateant, amplissimè divinare plenumque adeo iudicium astrologicum ferre posset. Neque dubium mihi est, quin ea cupiditate plurimi inardescant, ut scire admodum laborent, an secundum Astrologorum regulas plus boni quam mali hinc augurari conveniat? Ecquid Operationis spondeat Conjunctio trium Planetarum in nona domo, quæ dignitatum Ecclesiasticarum, sapientiæ & artium domus nuncupari solet? Quænam splendida munera feliciter comparens Jupiter in undecima domo, quæ aulæ asseclis assignatur, polliceri queat? Et quæ imprimis hinc actionum efficacia pendeat, quod Mars in quinto domicilio cum capite Draconis & cum parte Fortunæ bono omine unitus, hanc totam cœli figuram dirigat, adeoque in novos etiam honores magisteriales, atque omnes alios, qui istos honores aliquando comitantur fructus, præcipuum sibi arroget dominatum? Hæc & alia plura si quærere & ad quæsitæ responsiones suppeditare vellemus, metuendum ex utraque parte foret, ne malefici crederemur esse & Mathematici, & quidem sensu ab ipso Legislatore intento, pœnamque adeo severe dictatam commeruisse. Quare satius est conticescere & per ipsum silentium curiosis animis subinnuere, quæ saniora sint cogitata, nimirum quod ejusmodi Prognostica sint vanitas vanitatum, & omnia vanitas.



Longitudo.	V	♄	♃	♂	♆	♅	♄	♃	♂	♆	♅	♄	Latitudo.
1. 57	XI						V.						
3. 40				I.					VII				
4. 30		♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	2. 13 S.
9. 36	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	3. 58 M.
10. 21				III.					IX				
17. 17	♂		♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	1. 8 M.
18. 6	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	2. 8 M.
23. 28	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	2. 22 S. R <sub>4</sub>
24. 21				II.					VIII				
25. 9		♂					♂						
25. 10							♂						
25. 16	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	
25. 52		XII					VI.						
27. 56	♂	♂		♂		♂	♂	♂	♂	♂	♂	♂	7. 28 S. R <sub>4</sub>
29. 9				IV.					X.				

Krügner. sc. Lips.

# Pro inveniendis PLANETARVM Dignitatibus & Debilitatibus.

	Dign.	Debil.		Dign.	Debil.
<b>I. Pro S O L E, in</b>					
25. gr. 16. min. ☿					
(1.) <i>Essentiales.</i>					
Peregrinus - - - -	—	5	Occidentalis - - - -	—	2
In detrimento - - -	—	5	Liber à combustione ☉is	5	—
(2.) <i>Accidentales.</i>					
In Domo IX - - - -	2	—	Summa	18	2
Velox cursu - - - -	2	—	<b>V. Pro MARTE, in</b>		
Obsessus à ☿ - - -	—	5	4. gr. 30. min. ♀		
Summa	4	15	(1.) <i>Essentiales.</i>		
<b>II. Pro LVNA, in</b>					
9. gr. 36. min. ☾					
(1.) <i>Essentiales.</i>					
In propria Domo - -	5	—	In propria Domo - - -	5	—
In gaudio - - - -	1	—	In Participazione - - -	3	—
(2.) <i>Accidentales.</i>					
In Domo I. - - - -	5	—	In Terminis s. finibus - -	2	—
Velox cursu - - - -	2	—	In Decanatu vel facie - -	1	—
Crescens sive Occident. -	2	—	(2.) <i>Accidentales.</i>		
Libera à combustione ☉is.	5	—	In Domo V. - - - -	3	—
Summa	20	—	Directus - - - -	4	—
<b>III. Pro SATVRNO, in</b>					
23. gr. 28. min. ♄					
(1.) <i>Essentiales.</i>					
In propria Domo - -	5	—	Tardus cursu - - - -	—	2
In Participazione - - -	3	—	Orientalis - - - -	2	—
In Gaudio - - - -	1	—	Liber à combustione ☉is	5	—
In Almugea ☾ - - - -	1	—	Summa	25	2
(2.) <i>Accidentales.</i>					
In Domo IX. - - - -	2	—	<b>VI. Pro VENERE, in</b>		
Retrogradus - - - -	—	4	27. gr. 56. min. ♀		
Velox cursu - - - -	2	—	(1.) <i>Essentiales.</i>		
Orientalis - - - -	2	—	In Triplicitate - - - -	3	—
Combustus à ☉le - - -	—	5	(2.) <i>Accidentales.</i>		
Summa	16	9	In Domo VIII. - - - -	—	4
<b>IV. Pro IOVE, in</b>					
17. gr. 17. min. ♃					
(1.) <i>Essentiales.</i>					
In Triplicitate - - - -	3	—	Retrograda - - - -	—	4
(2.) <i>Accidentales.</i>					
In Domo XI. - - - -	4	—	Tarda cursu - - - -	—	2
Directus - - - -	4	—	Orientalis - - - -	—	2
Velox cursu - - - -	2	—	Libera à combustione ☉is	5	—
(2.) <i>Accidentales.</i>					
<b>VII. Pro MERCVRIO, in</b>					
18. gr. 6. min. ☿					
(1.) <i>Essentiales.</i>					
(2.) <i>Accidentales.</i>					
In Participazione - - -	3	—	In Domo IX. - - - -	2	—
In Decanatu s. facie - -	1	—	Directus - - - -	4	—
(2.) <i>Accidentales.</i>					
In Domo IX. - - - -	2	—	Velox cursu - - - -	2	—
Directus - - - -	4	—	Orientalis - - - -	—	2
Velox cursu - - - -	2	—	sub radiis ☉is - - - -	—	5
(2.) <i>Accidentales.</i>					
In Domo IX. - - - -	2	—	in Sextili partili ♃ - - -	3	—
Directus - - - -	4	—	Obsessus à ☿ - - - -	—	5
Velox cursu - - - -	2	—	Summa	15	12

Nos, qui jam fere consuetas Programmatis metas supergressi sumus, ad instituti nostri professionem revocat paucillum, quod superest; paginarum. Nimirum institerunt apud nos, lapsis abhinc septimanis, Juvenes, moribus doctrinaque ornatisimi, Musis hactenus in Alma hac aliisque in Universitatibus operati: ut studii in addiscendis artibus liberalibus, Philosophia, literisque humanioribus gnaviter adhibiti, collatis sibi Magisterii Philosophici insignibus, publicum perhiberemus testimonium. Quorum honesto desiderio, ut, prout decet, assurgere possimus, consuetis examinibus non perfunctoriâ operâ institutis exercuimus, probeque exercitos votis suis plane non impares deprehendimus. Sunt autem illi, quos sequens Tabula exhibet:

- I. Joh. Christianus Riedel, Cygneus, Pastor Mariæ-Vallensis,
- II. Joh. Paulus Becker, Leucopetræus, Pastor Marcwerb. & Obschiuzensis,
- III. Jacobus Gering, Lipsiensis,
- IV. Joh. Christianus Polcke, Wratislaviensis,
- V. Joh. Friedrich Steindorff, Cygneus,
- VI. Christophorus Baierus, Hirschbergensis,
- VII. Henricus Augustus Fricke, Dresdensis,
- VIII. Joh. Benjamin Konhardus, Lipsiensis,
- IX. Christophorus Gottlob Cnollius, Lipsiensis,
- X. Jeremias Friderici, Lipsiensis,
- XI. Georgius Bruckmeierus, Torgaviensis,
- XII. Jeremias Friedrich, Gryphibergensis,
- XIII. Christianus Gottlob Günther, Cygneus,
- XIV. Joh. Gottfried Werchau, Grosbardensis,
- XV. Joh. Gottlieb Bauer, Zdunensis,
- XVI. Sigismundus Andreas Flachs, Gieshübelensis,
- XVII. Joh. Georgius Fischer, Wonsfidelienensis,
- XVIII. Joh. Friedlieb Stübel, Annæbergensis,
- XIX. Henricus Hasting, Londinensis,

- XX. Carolus Matthias Dægener, Halberstadiensis,  
 XXI. Jacobus Antonius Jacobi, Kirchhaynensis,  
 XXII. Joh. Jobus Eggers, Lübenensis,  
 XXIII. Benjamin Acoluth, Wratislaviensis,  
 XXIV. Joh. Christophorus Riemer, Halensis,  
 XXV. Joh. Gottlieb Kalinsky, Leviniensis,  
 XXVI. Joh. Christianus Keyl, Lipsiensis,  
 XXVII. Mauritius Castens, Wratislaviensis,  
 XXVIII. Georgius Christianus Wagner, Cygneus,  
 XXIX. Joh. Fridericus Sommerlatt, Mühlbergensis,  
 XXX. Joh. Valentinus Schramm, Isenacensis.

Quos omnes & singulos, eo quo hic ordine descripti sunt, & quem non eruditionis discrimen, aut prærogativa (lubrico, & invidiæ juxta ac favori obnoxio argumento) sed, cum primi gradûs Philosophici prior occupatio, his, qui eodem jam ornati sunt; tum jus civitatis Academiæ apud nos antiquius, iis, qui Baccalaureatus Magisteriique honores simul indipiscuntur, in hac Academiâ constanti ab incunabulis ejus observantiâ, decernere consuevit, in dicto die, post sacra matutina finita, in Auditorio Collegii Principum Majoris, quod auspiciato fieri jubeat Supremum Numen! Philosophiæ Doctores, hoc est Magistros publicè renunciabimus. Quæ festivitas ut tanto honoratori confessu frequentiaque celebretur, **MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM, Procere utriusque Reipublicæ Amplissimos, Hospitesque alios ordinum omnium Honoratissimos, cum Nobilissima & Florentissima Dominorum Studiosorum Corona** observanter, officiose, humaniterque ad commodandum huic Actui splendidam decoramque suam præsentiam, enixis precibus, & proluxa studiorum nostrorum oblatione invitatos hoc ipso volumus, votique nostri nos damnatum iri certò certius nobis pollicemur: promissorum nostrorum, affectusque nostro Ordini exhibiti, in memoriam ex animo nunquam dimissuri, P.P. die 13. Februar. Anno reparatæ salutis M DCC XV.

L I P S I Æ,

TYPIS IMMANUELIS TITII.